

*Missal
la cor
ning
Orator.*

prij nominis oblitus est. Hæc sunt exempla Memoriae, de qua profundius loqui difficile, & alterius temporis opus. Sicut enim nulla copiosior aut ditior est animi suppellex: sic nulla fragilior, nulla fugacior, hinc est quod prima omnium senescit. Cuius rei non solum Seneca, sed experientia est testis, & plusculum indigens reparatione, opis indiget, & casibus ac morbis pluribus exposita est, quin & ipso valetudinis vivente flore, vel curis acribus, vel somno graui, vel perturbatione ridicula: denique leuissimis & innumerabilibus ex causis ita repente nonnunquam animum destituit, ut attonitus rerum omnium, ignarus & loci & temporis, & non absentum modò sed astantium: Postremò suimet obliuione cæcissima confundatur, nisi confestim reuollet ipsa quæ fugerat. Deinceps ad secundam primæ virtutis partem transeamus.

DE INGENIO. Cap. II.

Intelligentia rerum potētium cognitione fita est, hanc visum est nobis subdistinguere. Est quoddam genus hominum percipiendis literis potissimum, quos vsitato nomine Ingeniosos appellamus, quamuis in actibus humanis hebetio-

betio-